

CAPUT XXIIIX.
CAPUT XXIIIX.

151

Nexus.

IN præcedenti capite dictum, quod *Jeremias* ex mandato Domini jugum circumligarit collo: In hoc jam capite recitatur, quomodo se *Hanania* Pseudopropheta huic pacto *Jeremiæ* opposuerit.

Argumentum capitis.

Totum caput est διηγήσιον. vel δεγματικόν. Narrantur enim ea, quæ circa illud *Jeremiæ* factum gesta ac peracta, partim ab *Hanania*, partim à *Jeremia*, partim ab ipso *Iehova*.

Partitio Capitis.

Constitui possunt istius *Dramatis* tres *actus*: In quorum (1) introducitur *Hanania* falsa prophetans, usque ad vs. 5. In (2) *Hanania* & *Jeremias* invicem contendentes, usque ad vs. 12. In (3) *Iehova* mandatum *Jeremiæ* proponens, inde usque ad finem capitis.

Ufus.

Præbet istud caput Ministris Ecclesiæ duplicem Usus: πᾶσι δότικόν unum de παρρησία, falsis Doctoribus se opponendi; ὁδὸν μνηστικόν alterum de præsentia ac patrocinio DEI.

Actus I.

In I. Actu, quo introducitur *Hanania* falsa prophetans spectanda veniunt quinque, (1) Tempus istius actus, quod describitur συγχεχουμένως mentione initii regni *Zedekia*: partim διωρισμένως in ratione *Mensis quinti* [qui partim *Julio*, partim *Augusto* respondebat] itemque *anni quarti*, scilicet post abductionem *Jechonia* in *Babyloniam*, de qua 2. Reg. 24. ut nonnulli existimant, vel rectius post promulgationem mandati de jugo circumgestando. (2) Persona *Hanania*, quæ describitur partim à Patre, cui nomen *Azur*; partim à patria, *Gibeon*, quæ urbs celebris à nefando facinore, de quo *Judic. c. 19.* (3) *Locus*, qui fuisse narratur atrium templi concionibus sacris & conventibus Ecclesiasticis destinatum. (4) *Auditores*, Sacerdotes nimirum & populi. (5) *Prophetia*, qua tria auditu grata & jucunda prænunciat, utque plus authoritatis habeat concio, prætendit nomen divinum: *Q. H. Err / der sheure Nab-*

7.2.